

Eustachii Atrebatis Quaestiones septem de aeternitate mundi. Quaestio quinta: utrum aeternitas sit mensura solius divini esse

Autor:

Omar Argerami

Revista:

Patristica et Mediævalia

1986, 7, 83-87



Artículo



FILO:UBA
Facultad de Filosofía y Letras

FILODIGITAL
Repositorio Institucional de la Facultad
de Filosofía y Letras, UBA

EUSTACHII ATREBATENSIS QUAESTIONES SEPTEM DE AETERNITATE

Textus et adnotaciones: OMAR ARGERAMI

<Quaestio quinta: utrum aeternitas sit mensura solius divini esse>

1230 QUINTO quaeritur utrum aeternitas sit mensura solius divini esse, aut sit etiam mensura aliorum entium, sicut quae sunt in tempore et in aevo. Et hoc est quod sub aliis verbis quaeritur; scilicet, quae sunt in aeternitate: utrum scilicet solus Deus vel extendatur etiam ad alia.

1235 QUOD AUTEM ad omnia alia, et non ad divinum esse solum, se extendat aeternitas ostenditur primo per auctoritatem Dionisii, qui dicit, *De Divinis Nominibus* c^o X, quod aeternitas est antiquum et immutabile et universale in metiendo. Aeternitas igitur est universalis mensura rerum mensurabilium. Sed, quaecumque mensurantur a mensura particulari, mensurantur ab universali; quia ad quaecumque se extendat mensura particularis, et universalis; et etiam ad plura. Ergo, quaecumque sunt <in aevo> et tempore, quae sunt particulares mensurae et propriae, sunt in aeternitate, eo quod omnia per ipsam mensurantur.

1240 ITEM, secundum Philosophum, unumquodque mensuratur primo et simplicissimo sui generis. Sed esse divinum est simpliciter primum et simplicissimum; similiter et eius duratio. Ergo, esse divinum est mensura cuiuslibet alterius esse; et eius duratio, durationis alterius esse. Ergo aeternitas, quae non est aliud quam esse divinum et eius duratio, mensurat durationem

1240. in aevo connect. 1241. eo: et ms.

1234. *De divinis nominibus* X, 3 (MG III, 938 D): antiquum esse et immutabile, totumque rerum statum mensurare proprium est aeternitatis.

Quamvis textus graece conscriptum magis videatur cohaerere verbis Eustachii, versio latina I. Sarraceni, qua S. Thomas in sua expositione utitur, etiam sensum manifeste diversum monstrat: "Secundum quod et proprietas aevi est antiquum et invariable et totum secundum totum metiri". Notetur quod "aevum" vertit hic verbum graecum *aἰών*, quod etiam Thomas interpretatur ut aeternitas (cf. *In de Divinis Nominibus expositio*, cap. X, I. III, ed. C. Pera, n^o 871).

1243. *Metaph.* X, 1, 1052b18-19: praecipue vero mensura esse primum uniuscuiusque generis et maxime quantitatis (secundum versionem nostram). In libro Auctoritatum Aristotelis datur versio: in unoquoque genere est dare aliquod primum et minimum quod fit metrum et mensura omnium illorum quae sunt in illo genere. Moerbekeana vero vertit: Maxime vero in eo quod est metrum esse primum uniuscuiusque generis, et maxime proprie quantitatis.

- 31
- 1250 cuiuslibet esse creati; ergo omnis creature habet esse in aeternitate.
- ITERUM, quidquid est et continetur in parte, est et continetur in toto, sicut apparet: quidquid est in die est in septimana et in anno, et quidquid est in hora est in die. Sed Tullius dicit quod tempus est pars aeternitatis; ergo, quidquid est in tempore est in aeternitate, et similiter ostenditur de aevo, quia aevum participat rationem aeternitatis, ut dictum est. Ergo, quidquid est sub aevo est sub aeternitate.
- ITEM, in mensura quae est locus ita videmus quod quidquid est in terra est in aere et in caelo; ergo, quidquid est in terra est in caelo. Cum igitur ita sit ex parte locorum, ergo, similiter ita est ex parte mensurarum durationis, quod, quaecumque sunt in duratione quae habet principium et finem sunt in duratione quae habet principium et caret fine, et quaecumque sunt in duratione habente principium et carente fine sunt in duratione quae caret principio et fine. Et haec est aeternitas. Ergo, vere potest dici quod omnia sunt in aeternitate.
- ITEM, ita videmus in causis quod quidquid est causa causae est causa causati. Ergo, similiter ita est in mensuris quod mensura continens alias mensuras et claudens, continet mensurata ab ipsis. Sed aeternitas est <ita>; claudit enim alias mensuras quae sunt tempus et aevum, et complectitur eas. Ergo, continet aeternita et temporalia. Ergo, omnia sunt in aeternitate. Maior patet, scilicet, quod aeternitas claudit omne tempus in se; unde dicit Anselmus, libro *De Concordia Praesentiae et Liberi Arbitrii*, quod, sicut praesens tempus claudit omnem locum et omnia quae in quolibet loco sunt, ita aeterno praesenti claudit tempus et ea quae in quolibet tempore sunt. Ex quo videtur quod omne tempus et omne temporale sit in aeternitate.
- 1280 ITEM, de corporibus caelestibus dicitur psalmis: "statuit ea in aeternum"; / et de poenis malorum, Matthaeus: "ite in sup-
- 63^{va}

1259. aere: vel add. sed exp. ms. et: s.v in ms. 1262. habent ms.
1264. carente: carentem ms. 1270. ita coniect. 1281. ite: hii ms.

-
1258. Effatum Ciceronis non inveni, quamquam de aeternitate in diversis loquitur locis.
1274. S. Anselmi *De concordia praesentiae, et praedestinationis, et gratiae Dei cum libero arbitrio*, Q. I, cap. V: Quamvis autem nihil ibi sit nisi praesens, non est tamen illud praesens temporale sicut nostrum, sed aeternum, in quo tempora cuncta continentur. Si quidem quemadmodum praesens tempus continet omnem locum et quae in quolibet loco sunt, ita aeterno praesenti simul clauditur omne tempus, et quae sunt in quolibet tempore.
1280. *Paul. 148, 6*: Statuit ea in aeternum, et in saeculum saeculi;
1281. *Mat. 25, 41*: Discedite a me maledicti in ignem aeternum..., *ibid. 25, 46*: Et ibunt hi in supplicium aeternum:

plicium aeternum". Similiter, ad Romanos ultimo, dicitur: "secundum revelationem ministerii temporibus aeternis". Ergo, videtur quod ista sunt aeterna et habent esse in aeternitate; et ita habent ibi esse aliud quam Deus.

- 1285 AD OPPOSITUM, a quocumque removentur proprietates aliquius, ab eodem removetur subiectum illarum proprietatum. Sed antiquitas et invariabilitas et totum similiter, sunt proprietates aeternitatis. Si ergo ista non conveniunt alicui creato, ergo nec aeternitas. Ergo, videtur quod aeternitas non sit mensura alicuius creati, et ita videtur quod nihil sit in aeternitate nisi solus Deus.

- 1290 ITEM, dicit Philosophus, libro De Causis: hoc est aeternum aeterno quod aeviternum aeviterno et tempus temporali. Ergo, videtur quod, sicut tempus non extenditur nisi ad temporalia, ita nec aeternitas nisi ad aeterna, et ita videtur respicere solum Deum et nihil amplius.

- 1295 ITEM, quorum esse mensuratur tempore, illa dicuntur temporalia; similiter, quae sunt in aevo sunt in mensura aeviterna; et quae sunt in aeternitate sicut in mensura, dicuntur aeterna. Sed temporalia et aeviterna non sunt huiusmondi; ergo, non possunt idem esse in aeternitate.

- 1300 ITEM, haec est universalis ratio consequens omnem mensuram, scilicet, quod mensura et mensuratum adaequantur. Ergo, nihil est in aeternitate sicut in mensura, nisi quod ei adaequatur. Sed hoc est solum esse divinum. Ergo, solum ipsum est in aeternitate.

- 1305 RESPONDEO dicendum quod, sicut videmus in causis quod quaedam est causa quae est prima et universalis, aliae autem sunt causae particulares et appropriatae effectibus diversis et sibi propriis, et causa prima et universalis habet influentiam super effectus aliarum causarum; sic dico quod duplex est mensura: quaedam prima et per excellentiam se habens respectu aliarum mensurarum, et haec est aeternitas proprie dicta quae, quia caret principio et fine claudit in se omnes alias mensuras sive durationes. Est autem alia mensura, scilicet propria ipsi mensurato, et talis mensura semper adaequatur ipsi mensurato; et sic aevum est mensura aeviternorum et tempus temporalium, sicut motus primi mobilis. Dico ergo quod nihil nisi divinum esse est in aeternitate sicut mensura propria, loquendo proprie de aeternitate; et sic nec temporalia nec aeviterna sunt in aeternitate. Sed, si dicamus aliquid esse in alio sicut in mensura

1282. Rom. 16, 25: Secundum revelationem mysterii temporibus aeternis taciti,
1293. Dictum non inveni in Librum De Causis, sed videoas Prop. 30, in qua diversas
rerum aeternarum, aeviternarum et temporalium qualitates indicantur.

- communi et excellente, sic omnia temporalia et aeviterna sunt in aeternitate. Ipsa enim aeternitas proprie dicta est mensura per excellentiam mensurans aeviterna et temporalia; unde secundum hoc verum est quod omnia clauduntur in aeternitate. Nec tamen sequitur quod sint aeterna, quia non sunt in aeternitate nisi propter excellentiam aeternitatis super aevum et tempus, quae sunt mensurae rerum creatarum. Nihil autem dicitur aeternum proprie loquendo nisi quod est in aeternitate sicut in mensura propria. Mensura autem propria dicitur, vel quae mensuratur ipsum mensuratum et certificat quantitatem ipsius, vel mensura quae adiacet toti quantitati secundum eam. Et totum tempus adiacet motui caeli toti. Et constat quod neutro modo aeternitas est mensura aeviternorum et temporalium, et ideo non dicuntur aeterna, licet aliquo modo mensurentur aeternitate, scilicet sicut mensura excellente non adaequata ipsis nec in toto nec in parte. Tempus autem, si sit mensura excellens secundum totalitatem suam aliqua temporalia, tamen secundum partem suam aequatur illi rei temporali, sicut apparet in rebus temporalibus corruptibilibus, quae non durant per totum tempus; durant tamen per totam periodum suam, et ista non est totum tempus sed pars temporis; et ideo tales res dicuntur temporales. Aeternitas autem nec secundum totum nec secundum partem proprie loquendo / aequatur rebus temporalibus. Aevum autem secundum totam rationem suam aequatur aeviterna, et ideo illa quae mensuratur dicuntur aeviterna.
- RATIONES autem ad primam partem quaestione positae procedunt de aeternitate secundum quod est mensura communis et excellens, non secundum quod est mensura propria; et ideo non sequitur quod temporalia et aeviterna sint aeterna.
- AD ILLAM tamen rationem quae ostendit quod corpora caelestia sunt aeterna, et penae aeternae, et angeli beati aeterni, et ita mensurantur aeternitate ut mensura sua propria, dicendum quod aeternitas multipliciter accipitur. Uno modo propriissime, scilicet secundum omnes proprietates et conditiones ipsius, sive secundum totam et perfectam <rationem> ipsius; quae est quod aeternitas est interminabilis vitae etc.; et sic nihil est proprie in aeternitate sicut mensura propria nisi solus Deus, et nihil est aeternum nisi Ipse, quia sic aeternitas nihil aliud est quam nunc simplex et invariabile et indeficiens et carens utroque termino et totum simul. Et secundum hoc quo ad has conditiones, si accipientur simul, non mensurabit proprie nisi esse divinum. Alio modo accipitur aeternitas, non secundum

1832. mensurat: *dub. in ms.* 1833. eam: *dub. in ms.* 1834. motui: *mocui*
ms. 1850. nom^l: *iter.ms.* 1857. rationem *consect.*

- 1365 totam perfectam rationem, sed secundum diminutam; et sic aeternitas dicitur idem quod aevum vel aeviternitas, scilicet duratio quae durat in aeternum ex parte post, et non habet finem. Et sic angeli dicuntur aeterni. Dicuntur etiam aeterni secundum quod, contemplando, participant vitam aeternam quae est Deus, et sic sunt in aeternitate et quodam modo aeterni.
- 1370 Ex hoc enim quod participant aeternum, angeli sancti et animae beatae accipiunt stabilitatem potentiae defluentis quae in ipsis est ex hoc quod sunt creature, et sic sunt in aeternitate participando ipsum aeternum secundum vitam beatam. Similiter penae infernales dicuntur aeternae quia non sunt habiturae finem; unde aeternum accipitur ibi pro perpetuo, et similiter corpora caelestia.
- 1375 QUON autem dicit de temporibus aeternis, dicendum quod tempora ista, de quibus loquitur apostolus, non sunt tempora quae mensurant temporalia. Sed, secundum intentionem apostoli, ibi dicuntur tempora aeterna ipsa duratio aeterna, in qua praedestinatus est Christus, qui est pastor magnus omni de quo loquitur ibi apostolus. Vel dicendum, ut dicunt alii, quod aeterna tempora dicuntur tempora in divina dispositione, non in sui natura; et tantum determinatio aeterni trahit tempus extra rationem suam, ut non supponantur per "aeterna tempora" tempora in rerum natura, sed rationes temporum quae sunt in divina dispositione. Similiter vita aeterna est vita increata, quae est Deus, quae est in aeternitate, et est ipsa aeternitas. Et licet non participetur ab aeterno a beatis, tamen ratione illius participationis dicuntur beati aeterni in aeternitate.
- 1380
- 1385
- 1390

Editio haec huius textus interrupitur quia integrum opusculum hoc publicabitur in collectione "Philosophes Médievaux" nuncupata.

1372. ipsi ms. 1388. dispositione: similia add. sed exp. ms.

1379. Cf. ad v. 1282.